Bibliothèque numérique

medic@

Forment, Jacques de - président. - An Medendis Ventriculi affectibus Pharmacia magis occurrendum ?

1539.
[Paris]
Cote : ms 72 n°1

PARIS biu Santé

(c) Bibliothèque interuniversitaire de santé (Paris)
Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms00072_ms00080x01x0001

ad vivum del. et Sculpsit
HYACINTHUS THEODORUS BARON, PARISINUS,
Hyacinthi Theodori Filius, Theodori Frater,
Castrorum Regis et Exercituum in Germania et in Italia Protomedicus,
Facultatis Medicinæ Parisiensis Decanus,
unanimi voce bis proclamatus à 9bre 1750 ad 9bre 1754
Pharmaciæ Professor anno M.D.CCLVIII.

Ms 72 (.
(Ancienne Suite 476)

Quaestiones Medicae

In Scholis Parisiensibus agitatae,

ab anno 1539 ad annum 1590

quas quidem, Facultatis jussu, ab haereditate M. Urbani de Vandenesse Medici Parisiensis comparavit M. Hyacinthus Theodorus Baron Decanus, disposuit in ordinem, et compingi curavit anno 1754.

Hæc
euocat
orco.
antia
Custos.
ET ORBI
VRBI
SALVS
Dum regis æquat.
Te non moderante venenant.

Pro Quodlibetaria

Disputanda In Scholis Medicorum, die Martis 15a Nouembris, 1539

Præside Eruditissimo viro Jacobo de Forment, Doct. Medico

Quæstio Medica.

An Medendis Ventriculi affectibus Pharmacia magis occurrendum?

Ventriculus quatuor animalis Coctionum officina prima, præcipuaque artifex, reliqua facultatum naturalium [illegible], triplici villorum genere perficiens, totus suæ natura membraneus, maximeque sensilis, ob quas habetur præcipue vel ipsius Cerebri functionibus magis necessarius, omni morborum generi afficitur, vel læsa simplici sua substantia, vel organica, vel utraque: magis tamen humorum fluxioni, vel congestioni, quam cunctas intemperiei obnoxius esse solet: atque intemperiebus sicca longe omnium curatu difficillima est, et plurimum insanabilis.

Hinc fiunt Phlegmonæ, Erysipelata, abscessus, ulcera, scirrhi, oedemata, et huiusmodi affectus per se nonnunquam frequentes, hincque gravissima plerumque sequuntur symptomata, Bulimus, Bupina, Malacia, singultus, vomitus, nausea, ructus, apepsia, anorexia, syncope, Cardiogmus, Cardialgia, dyspnœa, apnœa, Epilepsia, Melancholia morbus, Paraphrosyne, paracope, Carus, Catalepsis: quæ omnia ex causarum cognitione, et partis affectæ natura facile est ostendere.

Horum affectuum Causæ sunt duplices, Cum scilicet una qualitate exsuperante, vel pluribus, vitiatur ipse citra humorum fluxionem, et Congestionem infestatur; aut Cum humor quispiam in eum ipsum [illegible], partes robustæ mittunt, vel sensim ibi coacervatus fuerit, instrumenti imbecillitate. Vbi tantum vero symptomatum sequela est a mutuo partium humani Corporis obsequio, et Consensu.

Quemadmodum autem in hisce morbis variæ sunt Causæ, variaque symptomata, sic quoque Curandi methodum diversam esse oportet, et intemperiebus quamvis sua opponuntur Contraria, imbecillitatem roborantibus instaurare, vacuare plenitudinem, Crassitiem et lentorem attenuare et discutere, acrimoniam et erosionem mollire, detergere, servato semper Curationis ordine, quæ duntaxat petitur ab indicante genere triplici.

Peculiaris affectuum ventriculi medela, ubi [illegible] astrictione, et roboratione opus est, et his quærenda medicamentis oenanthino, nardino, myrthino, et melino, Purpura tyria his imbuta: quæ Calida quidem adponenda, nam tepida ventriculi dissolvunt firmitudinem, ubi attenuationi, vacuationi, aut detersioni locus: hiera picra, myrobalanis, diospolitico, diacalaminthe, dia trion piperon, oxymelite et radicula, ptissanæ Cremore, atque hydromelite et absynthio. Si syncope, singultus, vomitus, vel inflatio; iuvabunt [illegible], hic etiam vincula, Cucurbitulas, frictiones, [illegible]; [illegible] est summouenda, et per Scammonium vacuatio.

Ideoque Ventriculi affectibus magis occurrendum Pharmacia.

1539.

F.M.P.